

CAROLVS MARTELLVS MAIOR DOMVS FRANCIAE.



**C**arolus ille filius fuit Pipini & Aluigæ, quam tandem Pipinus ex concubina conjugem sibi assumpserat. Cum autem Pipinus esset mortuus, atque prius Carolum Maiorem domus Franciæ constituisset, Plectrudis nouerca, cuius magna erat apud Francos authoritas, quod legitima Pipini uxor fuisset, inuidia percita, ipsum Carolum per insidias cepit, & Coloniae in custodijs aliquandiu habuit. quoniam uerò Dagobertus Chilperici filius rex Francorum factus esset, Plectrudis ex filio Drogone nepotem Tietuualdum Maiorem domus constituit. Verum Rangafredus, qui regiæ domus Magisterium ambiebat ad Cosiam syluam Tiet

uualdum superauit, atque uictor existens Maior domus à rege electus est. Is postea Pipini domum grauiter persecutus, Austrasiam ferro & igne populatus est. Paulo post Dagobertus rex moritur, atque Chilpericus tertius, qui & Daniel dicebatur, in regno successit.